



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente  
XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

XXIV. Innovatio, moderatio, & declaratio Constitutionum Ord. B.M. de  
Mercede.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis Redemptione seipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in Terris inter multiplices gravesque Apostolicae servitutis curas, in eam praecipue pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, & tam salubris Mysterii monumenta, quae in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur.

Ab Urb. VIII. praecipuum fuit Locorum Ordinarius, & Religionum Generalibus, ut saltem his in anno populo commendari curarent indigentiam dd. Locorum.

§. 1. Cum itaque alias felic. record. Urbano Papae VIII. Praedecessori Nostro exposito, quod Ecclesiae, & alia loca pia in Civitate Hierusalem, & aliis locis Terrae Sanctae existentia fere diruta erant, & quae adhuc ibi existerent Monasteria aere alieno ob impiam Turcarum, Haereticorum, & Schismaticorum Tyrannidem, & pro Sanctae Fidei Catholicae in eisdem Locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus Praedecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutuum Regularium Generalibus commiserit, & mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet Anno, Adventus, & Quadragesimae temporibus tam per Verbi Dei Praedicatores in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publicis necessitates eorumdem Sacrorum Monumentorum Populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & alias pro ut in ipsius Urbani Praedecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Februarii 1634. expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur; & sicut pro parte dilecti filii Bernardi ab Ecclesia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Professoris, ac ejusdem Terrae Sanctae Commissarii Generalis Nobis nuper expositum fuit, ipse, quo praefata Urbani Praedecessoris Literae, quae a recol. mem. Innocentio X. Clemente X. Innocentio XI., Alexandro VIII., ac Innocentio XII. Romanis Pontificibus Praedecessoribus pariter Nostri confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per Nos pariter confirmari, & innovari desideret: Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum conservationi, & manutentioni consulere volentes, praedictas Urbani Praedecessoris Literas Apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus pariter, & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus.

Preces Commissarii Gen. Terrae S. pro confirmatione Constitutionis Urbani VIII. jam antea ab alijs Sum. Pontif. confirmatae.

Confirmatio d. Constitutionis.

Et mandatum super ejus executione.

Clausula.

§. 2. Volumus autem, ut Patriarchae, Archiepiscopi, & Episcopi praefati in relatione status Ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, faciendae, referant, se praedictis Urbani Praedecessoris, ac praesentibus Nostri Literis paruisse; contrariis non obstantibus quibuscumque.

§. 3. Volumus insuper, ut earundem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVIII. Novemb. MDCCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXIII.

Conceditur Indulgentia plen. perp. peregrinantibus ad Ecclesiam Monasterii Sacri Specus Sublacen. Monachorum Cassinensium.

Innoc. XII. Const. ed. 1676. Nov. 17. P. 1. agitur de facultate approbandi Confessarios.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universis Christianis praesentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Injuncta Nobis divinitus Apostolicae servitutis ratio postulat, ut caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos ad augendam in terris Sanctorum in Caelis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque, & conservandam erga illos fidelium devotionem libenter, quantum Nobis ex alto conceditur erogare studeamus.

Causae hujus Concessionis.

§. 1. Itaque gloriosa S. Benedicti Abbatis, qui dum in hac Terra adhuc esset, nulli voluptati animi dedit, sed soli Deo placere desiderans, Sanctae Conversationis habitum quaesivit, ac caelestis gratiae benedictione repletus Ecclesiam Catholicam spiritualium aromatum fragrantia longe, lateque replevit, merita pio, devotoque animi affectu recolentes, nec non spirituali Christianis ad Ecclesiam Monasterii Sacri Specus Sublacen. nullius Diocesis Provinciae Romanae Congregationis Cassinen. Ordinis ejusdem Sancti Benedicti, ubi ipse, ut totum se Jesu Christo daret, per triennium delituit, quamque Nos pluries ante nostram ad summi Apostolatus apicem assumptionem, dum in minoribus constituti eramus, personaliter visitavimus, devotionis causa peregrinantium consolationi, atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christianis ad Ecclesiam ejusdem Sacri Specus, sicut praemittitur, peregrinantibus, qui illam vere poenitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresium extirpatione, & Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem semel tantum in anno per unumquemque lucrificandam, misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio d. Indulgentiae semel tantum in anno.

Clausula.

§. 2. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXII. Novemb. MDCCII. Pontificatus nostri Anno Primo.

Confirmatur Decretum Card. Protectoris quo permittitur publicatio Decretorum innovantium, moderantium, & declarationum Constitutiones Ord. B. M. de Mercede Redem. Captiv.

XXIV.

Constitutiones Ordinis confirmatae fuere Innoc. XII. Const. ed. 1691. Dec. 7. P. 1. Et Const. ed. 1692., Mar. 1. P. 1. permittitur moderatio cujusdam particulae Constitutionum. Hujus vero Pontificis Const. ed. 1703. Aug. 13. P. 3. confirmantur quaedam Capitula, & Ordinationes.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Alias pro parte dilecti filii Antonii Salvador Gilaberte Vicarii, & Procuratoris Gene-

Dat. 29. Mar. 1702. An. 2.

Supplex libellus super

ralis

innovatione, moderati-  
one, & declara-  
tione Consti-  
tutionum Pontifici  
oblati miter  
ad S. Congrega-  
tionem Epil.  
& Reg. a  
qua manant  
insequencia  
Decreta.

Decreta Co-  
gregationis  
summatim  
exposita.

De tempore  
recitandi ho-  
ram matuti-  
nam.

De immuni-  
tatis Patrum  
Provinciae.

De facultate  
Magistri Ge-  
neralis super  
elemosynis  
pro redem-  
tione Capti-  
vorum.

ralis Ordinis Fratrum B. Mariae de Mercede Redemtionis Captivorum, ac in Sacra Theologia Magistri, etiam nomine dilecti pariter filii moderni Magistri Generalis dicti Ordinis porrecto Nobis ex speciali, ut asserebatur commissione totius Capituli Generalis ejusdem Ordinis die 17. Maji 1698. in Oppido Civitate nuncupato Guadalforriensi celebrati supplici libello, in quo nonnullarum ex Constitutionibus dicti Ordinis a se. re. Innocentio PP. XII. Praedecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die 7. Decembris 1691. expeditas literas specificè confirmatis, moderari, & declarari respectivè petebatur: Nos supplicem libellum hujusmodi remissimus ad Congregationem Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositam, a qua ipse Antonius Vicarius, & Procurator Generalis obtinuit plura Decreta super innovatione, moderati-  
one, & declaratione dictarum Constitutionum in diversis earum Capitibus, seu Articulis, ac facultatem eadem Decreta imprimendi, seu typis mandandi; illaque praedictis Constitutionibus suo quoque loco inserendi, ea tamen conditione ut prius insertionis hujusmodi minuta, seu formula ipsi Congregationi Cardinalium exhiberetur, quam subinde praedictus Antonius Vicarius, & Procurator Generalis eidem Cardinalium Congregationi exhibuit, tenoris, qui sequitur, videlicet.

I.  
*Distinctio prima Cap. 2. num. 1.* Decrevit Sacra Congregatio, quod *Matutinae hora hora noctis nona non cantentur, sed determinetur hora a Diffinitorio cujuslibet Provinciae, ea tamen determinata amplius non varietur* - Quare deletum num. 1. ejus loco dicitur sic: Firmiter statuimus, ut matutinæ in toto Ordine nostro perpetuo, & inviolabiliter media nocte dicantur, & Superiorum conscientias oneramus, ne ad aliam horam transferri permittant, nisi in casu inevitabili, qui si accidat a die Pentecostes inclusive, usque ad festum S. Augustini dicantur post completorium, reliquis vero temporibus, eodem casu occurrente, designetur hora a Diffinitorio cujuslibet Provinciae, ea tamen determinata, nullo modo varietur; Provincialis, aut Visitator, qui hoc non exequatur, voce activa privetur in proximo Provinciali Capitulo - Sequitur num. 2. *Prima non longe &c.*

II.  
Eadem *Distinctio cap. 10. num. 5.* Decrevit Sac. Congregatio, quod *omnes, qui a jure Constitutionis habent immunitates Patrum Provinciae, debent eisdem gaudere suffragiis, quibus illi, qui sunt, aut fuerunt Provinciales* - Quare addi debet in prima clausula, dum dicit: Ad hæc ipsa quælibet Provincia tenebitur pro his qui sunt, aut fuerunt Provinciales, vel a jure Constitutionis habent immunitates Patrum Provinciae, seu Exprovincialium - Et sequitur: *Atque etiam pro actuali Visitatore &c.*

III.  
*Dist. 2. cap. 1. num. 6.* Decrevit Sacra Congregatio: *Posse, Magistrum Generalem elemosynas unius Provinciae applicare Redemtionem alterius in casu necessitatis pro suo arbitrio, & conscientia de consensu Diffinitoris Provinciae commodantis, cum hac tamen conditione, quod ex pecuniis commodatis primo loco redimantur Captivi Provinciae commodantis, & in Catalogo Redemtionis exprimat inde pecunie fuerunt desumptæ* - Unde deletum num. 6. ejus loco dicitur sic: Eidem injungimus, ut non transferat Elemosynas unius Provinciae in aliam, nisi in casu necessitatis, ut ad redimendum Captivos illius ad uberiorem Redemtionem agenda, ad repignorandum, vel ad debita aliqua contracta solvendum; hoc tamen minime faciat, nisi de consensu Diffinitorii Provinciae, & semper primo redimantur Captivi Nacionales illius Provinciae, quæ pecuniis commodavit, & in Ca-

talogo Redemtionis clare exprimat, ex qua Provincia fuerunt desumptæ Pecunie - Sequitur numerus 7. *Super hoc autem, usque ad illa verba: Unde sub precepto, & excommunicatione praefatis, & deleantur reliqua.*

## IV.

Eadem *Dist. Cap. 5.* Deleatur in totum numerus secundus juxta Decretum Sac. Congregationis, & sufficiant dicta num. 1.

## V.

*Dist. 3. cap. 6. num. 4.* Decrevit Sacra Congregatio *Sufficere observantiam Constitutionum antiquarum* - Quare deletur numerus quartus, & ejus loco dicitur sic: Quarta, & Sexta feria per totum Quadragesimale tempus, & etiam omnibus sextis feriis per totum Adventum peracto completorio omnes Fratres conveniant in Ecclesia, vel Choro, & ibi communem exercent disciplinam, recitantibus interim Praelato, & ejus Vicario, & Conventu alternatim praedictum Psalmum, semel, & iterum, vel secundum Domorum consuetudinem cum versibus, & oratione praefixa, ab ipso Praelato dicendis. Alias autem disciplinas, quibus ultra, & privatim fratres afficiuntur, si prudenter, & cum discretione fiant, non solum laudabiles reputamus, verum & salubriter suademus - Sequitur Caput 8.

## VI.

Eadem *Distinct. cap. 11. num. 1.* Decrevit Sacra Congregatio, *Indulgeri quod deleatur prohibitio duorum linteaminum* - Quare deletum num. 1., ejus loco dicitur sic: - Ne in lectulis delitiis refoveamus, universis fratribus constituimus, ut nunquam nudi dormiant, sed cum tunica. Uti possunt duobus linteaminibus cum religiosa tamen paupertate, absque profanitati umbra - Sequitur num. 2. - *Singuli Fratres &c.*

## VII.

Eadem *Dist. cap. 5. num. 1.* Decrevit Sacra Congregatio, *Relinquendam solam penam privationis officii ipso facto incurrendam, ceteris poenis, & Comminationibus deletis*. Quare deletum hoc num. 1. ejus loco dicitur sic: Regularem observantiam exequimur in Capitulis culparum, ubi nosmetipsos accusamus, & salubriter a Praelato corrigimur. Quapropter universis Commendatoribus sub poena privationis officii ipso facto incurrenda praecipimus, ut ad minus qualibet feria sexta, vel opportuniore die cujuslibet hebdomadae Capitulum culparum post completorium celebrent - Sequitur numerus secundus - *Congregatis igitur &c.*

## VIII.

*Dist. 6. cap. 6. num. 2.* Decrevit Sacra Congregatio, quod *serventur Constitutiones antiquae*. Quare deletum num. 2., dicitur sic: Quo circa praesenti Constitutione praecipimus, quod nullus ad gradum praesentatur de lectura promovendi valeat, nisi peractis quinque annis lecturæ, inclusis pariter, quos forsitan egerit in magisterio studentium, ita ut jam per triennium, unam ad minus artium lecturam expleverit, & per biennium Sacram Theologiam docuerit, vel Magister studentium extiterit. Similiter, etiam, quod nullus ad Magisterium assumatur, nisi ultra praedictos quinque annos, alios sex in Sac. Theologiae lecturam consumplerit - Sequitur num. 3. - *Lectorem autem.*

## IX.

Eadem *Dist. & cap. 1. num. 13.* Decrevit Sac. Congregatio quod *mutetur examen* - Quare deletum hoc numero ejus loco dicitur sic: Ut quis autem ad Collationem graduum de gratia per Breve Sedis Apostolicæ perveniat, sufficientiæ illius rigorosum fiat examen a Magistro Generali, vel a Provinciali, cum aliis duobus Magistris, vel praesentatis de numero, & Cathedra, qui juxta Deum, & propriam conscientiam de sufficientia, aut insufficientia graduandi judicent, & decla-

De tempore  
disciplinæ faci-  
endi.

De linteami-  
nibus lecti.

De Capitulo  
Culparum.

De promo-  
vendis ad  
gradum Prae-  
sentaturæ.

De collatio-  
ne graduū li-  
terariorum.

rent.

rent. Et sic & non aliter ad gradum promoveatur -- Sequitur num. 14. eos tamen. &c.

X.

Eadem *Dist.*, & *Cap. num. 17.* Decrevit Sac. Congregatio -- *Præcedentiam Graduatorum per Breve Sedis Apostolicæ* -- Quare deleto hoc num. dicet sic: Super quibus insuper declaramus Magistros, & Præsentatos de gratia, modo dicto creandos, in his quoque respective privilegiis, immunitatibus contineri: ita tamen, ut quantum ad locum, Præsentati de gratia, si fuerint lectores, sint immediate post Præsentatos de lectura: si fuerint Prædicatores, sint immediate post Præsentatos de Pulpito; si autem ex mera gratia Sedis Apostolicæ graduati fuerint ultimum locum habeant. Pariter Magistri per Breve Sedis Apostolicæ semper sint immediate post Magistros de numero -- Et juxta hanc Constitutionem corrigatur caput de Ordine sedendi -- Sequitur cap. 7.

XI.

Eadem *Dist. Cap. 11. num. 5.* Decrevit Sacra Congregatio -- *Possit Magistrum Generalem, & Provinciales concedere Fratribus licentiam ad extrahendum libros a Bibliotheca* -- Quare numerus iste terminabit sic: Nec ad hoc valeant Prælati locales facultatem concedere sub eisdem pœna, & præcepto: Magister tamen Generalis, & Provinciales possint licentias concedere ad libros extrahendum ex Bibliotheca, raro tamen, & solum in casu necessitatis id faciant, super quod eorum conscientias oneramus -- Sequitur numerus sextus qui vero &c.

XII.

*Dist. 7. Cap. 5. n. 17.* Decrevit S. Congregatio. *Modum servandum in his, quæ pertinent ad spoliolum Magistri Generalis, etiam in casu mortis* -- Quare huic numero addendum est in casu tamen mortis Magistri Generalis, bona, pecunia & aliæ res pertinentes ad spolia Magistri Defuncti taliter reserventur, & custodiantur a Provinciali, & a Diffinitorio illius Provincia, in qua existere quomodocumque innotuerit, & de his omnibus in Capitulo Generali proximo futuro fiet dispositio pro solvendis debitis, tam Romæ contractis (si quæ fuerint) juxta computa illius Procuratoris Generalis Curie adducta, etiam a Vicario Generali Ordinis tempore sui officii pro causa communi Religionis, & quidquid superet novo Magistro Generali resignetur pro sumptibus sui muneris, & Religionis, de quibus omnibus etiam reddet rationem modo, & tempore in hac nostra Constitutione statutis -- Sequitur numerus 18.

XIII.

Eadem *Distincta, Cap. 5. n. 22.* Decrevit Sac. Congregatio -- *Exgenerales subesse soli Generali actuali, quoad vitam coactivam, quoad vero directivam, etiam Provincialibus, & Superioribus localibus.* Quare huic numero addi debent hæc verba: Semper quoad vim coactivam subsint soli Generali Magistro. Sequitur Caput 6.

XIV.

Eadem *Dist. Cap. 10. n. 4.* Decrevit Sacra Congregatio -- *Procuratorem Generalem Curie gaudere voce in omnibus in hac Constitutione nominatis quin necessarium sit quinquennium explere* -- Quare in hoc numero deleatur illa particula: *per quinquennium.*

XV.

Eadem *Dist. Cap. 23. n. 16.* Decrevit Sacra Congregatio -- *Modum, quo suspendi debent Commendatores* -- Quare deleto hoc numero dicet sic: Quod si Commendator aliquid commiserit, quo in Constitutionibus nostris pœna suspensionis afficiatur, illamve promereatur, tunc audiat tanquam reus, & suæ defensiones admittantur, quibus perpensis ad sententiam procedatur, quam solus Superior proferre non pote-

rit, sed unice de unanimi consensu unius Magistri, vel Præsentati, & dignioris Fratris Conventus, ubi fuerit Commendator. -- Et in hunc modum corrigantur omnes Constitutiones, quæ de hac materia loquuntur Sequitur -- n. 17. *Item ipsius interest &c.*

XVI.

*Dist. 8. Cap. 3. n. 10.* Decrevit S. Congregatio -- *Possit Magistrum Generalem habitare ad officia adoptatos in aliis Provinciis de consensu eorum* -- Quare deleto hoc num. 10. dicet sic: Et quoniam apud Indias Occidentales in Provincia Quitensi quantum ad Provincialis officium similis viget alternandi consuetudo, inter Hispanos scilicet, & ejus Regionis indigenas ab ipsa Hispania oriundos, idcirco pariter constitutum, ut prædicta alternatio constituenda sit, quatenus ex utraque parte suppetat vir habilis, & quantum ad Hispanos, quod possint a Magistro Generali habitari de consensu Provinciarum ad omnes honores, & dignitates illius, Privative enim attinet ad Magistrum Generalem filios alias legitime adoptatos, habitare ad honores, & dignitates, accedente consensu Diffinitorii Provinciae, in qua fuit adoptio -- Sic corriget adoptionem per Quinquennium requisitam in Provincia Italiae in hoc Cap. num. 8. -- Sequitur n. 11. *de omnibus &c.*

XVII.

Eadem *Dist. Cap. 19. n. 5.* Decrevit Sac. Congregatio *locum Diffinitoribus Provinciae* -- Unde deleto num. 5. dicet sic: Circa reliqua officia, quæ diversis personis accidunt, sic ea distribuimus, Diffinitores Generales ex suo genere sunt Electoribus priores, & utrique Diffinitoribus Provinciae, qui semper sint immediate post Magistros tempore Diffinitoriatus: Cum autem hæc officia in personis Superioris dignitatis extiterint, ut in partibus Provinciae, & reliquis ad hunc Ordinem pertinentibus, non propterea locum inter se mutare debent, sed semper servare sibi debitum ex Provincialatu, aut alio munere peracto. Infra eos autem, si Magister fuerit Diffinitor, sit primus inter Magistros. Quod si Socius Magistri factus sit Diffinitor Ordinis, aut Provinciae, aut Elector Generalis, ex hoc ipso sit alter Socio prior, & si duo intra eundem Ordinem in diffinitione, aut electione fuerint pares, tunc præcedat, qui alterum alioquin, sine dictis officiis, anteiret -- Sequitur numerus 6. -- *De Socio autem &c.*

XVIII.

*Dist. 6. Cap. 6.* Deleatur numeri 8. & 9. & eorum loco dicet sic: Cum hæc præsentatio fieri semper debeat in vacante determinata per Diffinitorium Provinciale intra Capitulum Provinciale congregatum, ad quod privative attinet approbare, præsentare, seu exponere, & ex hoc necessario sequatur posse gradus, extra Capitulum vacantes, usque ad alium proxime futurum manere suspensos, si in Capitulo præsentatio, & approbatio facta non fuit, idcirco, ne præ his dilationibus, quidquam incommodi Provinciae substat, consulto, & deliberate statuimus, ut prædicto Diffinitorio liceat intra Capitulum hanc facultatem approbandi quemcumque Magistro Generali cedere, ut extra Capitulum, mediante approbatione promoveat, quem maluerit -- Num. 9. pariter declaramus ad Magistrum Generalem loco, & vice Capituli Generalis, privative pertinere quoscumque ex approbatis a Diffinitorio Provinciali (vel a se ipso ex speciali facultate a Diffinitorio concessa) graduare, sive ad gradus promoveri, eisdemque in ipsis confirmare. Qua etiam facultate gaudere volumus Priorem Barchinonæ, aut alium qui tempore vacationis Magistratus in Vicarium Generalem totius Ordinis successerit -- Sequitur numerus 10. *Ordinamus ulterius &c.*

De Generalis & Provincialis facultate extrahendi libros ex Bibliotheca.

De Spolio Magistri Generalis.

De subjectione Exgeneralem.

De suffragio Procuratoris Gener.

De suspensione Commendatorum.

De facultate Generalis habitandi ad officia.

De loco, atque præstantia Officiorum.

De jure probandi ad gradus extra Capitulum.

De facultate  
Generalis e-  
ligendi Vica-  
rium Provin-  
cialem.

XIX.  
*Dist. 7. Cap. 20. n. 2.* ante illa verba: *Cui soli hanc potestatem &c.* addantur ista: Ita, ut juxta declarationem Alexandri VII. semper sit in libera potestate Magistri Generalis, confirmare in Vicarium Provincialem talis Provinciae Commendatorem Domus futuri Capituli Provincialis, vel si maluerit, alium ex Patribus ad dictum Officium ab ipsis Constitutionibus vocatis, vel quemvis alium ex tota ipsa Provincia pro suo arbitrio, & prout melius judicaverit. -- Sequuntur illa verba: *Cui soli hanc potestatem &c.*

De modo e-  
rogandi, vel  
recipiendi  
pecunias a  
Commenda-  
toribus.

XX.  
*Dist. 7. Cap. 3.* Declaratur numerus 13., & pro declaratione, ejus loco dicit sic: Cuilibet alterius Commendatori precipimus sub poena privationis utriusque vocis per tres annos, ut nullo praetextu per se solum audeat expendere, vel recipere aliquid non praesentibus Depositariis, vel ad minus id notum faciat, & manifestet intra terminos viginti quatuor horarum, quod ut inviolabilibus periodis impleatur, sub eadem poena eidem injungimus, ut singulis septimanis indispensabiliter computa faciat, non quidem privatim, solique Procuratori associatus, sed publice, adstantibusque Depositariis, Dispensatore Conventus, ejusque Procuratore, atque etiam Procuratoribus Redemptionis; Quotquot in ea Domo resideant, sono Cimbali vocatis, quos omnes hujusmodi convocationibus necessario adesse compellimus. -- Sequitur num. 14. *Commendatores &c.*

Uterelata de-  
creta publi-  
cari possent  
editum fuit  
insequens de-  
cretum.

Quare pro parte dicti Antonii Vicarii, & Procuratoris Generalis praedictae Congregationi Cardinalium supplicato, ut dicta Decreta in praesentia minuta sic disposita, & digesta, ad hoc, ut illa typis edi possent, & eorum observantia demandari valeret, approbare, & confirmare dignaretur: Dicta Congregatio Cardinalium attenta relatione dilecti filii nostri Petri Sanctae Romanae Ecclesiae praedictae Cardinalis Otthoboni nuncupati dicti Ordinis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super praemissis eisdem Cardinalibus facta per suum Decretum die 13. Januarii proxime praeteriti emanatum, dicti Antonii Vicarii, & Procuratoris Generalis precibus pro arbitrio, & prudentia ejusdem Petri Cardinalis, & Protectoris benigne indulget, unde ipse Petrus Cardinalis, & Protector Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: -- Vigore supra dictae facultatis Nobis a S. Congregatione attributae Oratoris precibus in supplici Libello expositis, annuimus, petitamque Constitutionem innovationem, moderationem, & respective declarationem, necnon facultatem ea imprimendi, suoque loco inferendi auctoritate qua supra concedimus, & impartimur. Ex actibus Cancellariae Apostolicae die 18. Januarii 1702. P. Cardinalis Otthobonus Protector. I. D. Grimaldus Secr. Loco + Sigilli.

Decretum  
Cardinalis  
Protectoris.

Preces Vica-  
rii, & Procu-  
ratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dictus Antonius Vicarius, & Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit ipse Decretum hujusmodi quo firmiter subsistat, & servetur exactius Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nos dicti Antonii Vicarii, & Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum haurum ferie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinari; praesentium memorati Petri Cardinalis, & Protecto-

Confirmatio  
relati Decre-  
ti.

ris Decretum, omniaque, & singula in eo contenta, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robor adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula.

§. 2. Decernentes eandem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis praedicti, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Martii MDCCII. Pontificatus nostri anno Secundo.

Conceditur Fratribus Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occident. exemptio a Processionibus publicis.

XXV.

*Constitutiones, privilegia, & Indulgentia hujus Confraternitatis in Congregationem erecta extant Inn. XI. Constit. ed. 1687. Mar. 26. Pont. 12. Et hujus Pontificis Const. ed. 1707. Jul. 28. Pont. 7. Eidem conceduntur privilegia Mendicantium, & Ministrantium Infirmis.*

CLEMENS PAPA XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

Dat. 17. Junii  
1701. An. 2.

Solicitude Pastoralis Officii, quo Ecclesiae Catholicae per universum Orbem diffusa regimini Divina dispositione praesidemus, Nos admonet, ut paternam Christianissimam Christianae erga pauperes infirmos, & convalescentes charitatis, & hospitalitatis operibus, juxta laudabilia eorum Instituta pie, & fructuose incumbendum curam gerentes, ne ipsi a salutaribus operibus, & Institutis hujusmodi ullatenus avertantur, quantum nobis ex alto conceditur providere studeamus.

Exordium.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Confratres Congregationis Bethlehemitarum nuncupati. Hospitalium Pauperum Convalescentium in Indiis Occidentalibus, quod cum ipsi juxta eorum Constitutiones a fel. rec. Innocentio Papa XI. Praedecessore nostro speci-

Causa praesentis Concessionis.